

*[Faint, illegible handwriting on a blank page, possibly bleed-through from the reverse side.]*



32

EX PHYSICIS

De

# RATIONE

## BRUTORUM,

PRÆSIDE

M. JOH. ERNESTO *Gering*!

*publicam disputationem habebit*

*GOTTFRIED HAPPE*!

Torgens. Misn.

*In Auditorio Minori,*

*Ad diem XV. Februar.*

*horis matutinis.*



WITTEBERGÆ, Literis MATTHÆI HENCKELII  
ANNO M.DC.LXV.



VIRIS  
*Nobilibus, Amplissimis, Experientissimo, Consultis-  
simis, Spectatissimis, Prudentis-  
simis,*  
DOMINIS  
CONSULIBUS, JUDICIBUS,  
SYNDICO, CAMERARIIS,  
&  
SENATORIBUS,  
INCLYTÆ REIPUBL. TORG.  
*Gravissimis,*  
DOMINIS SUI PATRONIS, SUSCEPTORI,  
*ac PROMOTORIBUS OPTIMIS,  
MAXIMIS,*

Exercitium hoc Physico-Academicum,  
in submissæ observantiæ, & debitæ gra-  
titudinis Symbolum,

D. D. D.

Gottfried Haupt / Philos. ac AA. LL.  
Studiofus.





J. J.  
PRÆLOQUIUM.

**I**nter omnia, quæ sapientissimus Rerum Arbitrator, pro immensâ & ineffabili suâ benignitate primitus condidit, inq; Scenam hujus Universi introduxit, procul dubio homo præeminet, primasq; sibi vindicat partes. In hoc enim absolutissima Naturæ delicia recondita sunt, utpote in quem omne id collatum est, quod vel rectitudinis vel pulchritudinis vel aliæ cujusdam ornamenti titulum meretur, ita, ut quæ sigillatim in singulis tanquam angustiora aliâs admiramur corporibus, in homine ceteris in mixto & epitome totius orbis contractius eorû nitidius conspicere nostrum cuivis liceat. Hæc quum nullo non tempore viderint sapientes, hominisq; quas præ reliquis, hisce in terris, creaturis obtinet, prærogativas probè pensitaverint, dubii admodum fuerunt, quibus verbis easdem satis exprimerent. Unde autem tanta hominis nobilitas & præstantia exsurgit? Certè à nullâ aliâ re, quàm ab ipsâ Ratione, quâ benignissimum Numen hominem prædidit, quàm in re non minùs verè ac lepidè differit *SENECA*, Hoc unum est, inquit, quo antecedit animalia homo, Deos sequitur. Ratio proprium hominis bonam est: Cetera illi cum animalibus, satisq; communia sunt. Valet? & leones. Formosus est? & pavones. Velox est? & equi. Non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro, quid in se maximum habet, sed quid suum. Corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum? & bestia & vermes. Quid in homine proprium? Ratio, hæc rella & consummata felicitatem hominis parit. Hæc ratio, docente *Scaligero*, anima ipsius animæ est. Ex hæc Ratione promanat alterum quoddam hominis axioma amplissimum, quod vario & articulatissimo sono animi sensa depromere aliisq; communicare valet; imò tertium provenit, quod secundum rationis dictamen varias easq; tales operationes perficere potest, ad quas nullum reliquorum animantium as-surget unquam. Sed quò major hominis dignitas est, per & propter Rationem, quam Deus & Natura indulgentissimè ipsi concessit, tantò



major cura habenda est, ne vel quicquam ei detrahatur, atq; infra nobilitatis statum longissimè abjiciatur homo, quod maximè fore existimo, si vanissimis vulgi vel etiam aliorum, qui supra id sibi sapere videntur, opinionibus relinqueretur locus. Multa hodie prostant de homine quoq; sententia, quas si propiùs consideres, tantum abest, ut hominis dignitati & nobilitati faveant, ut potiùs eandem non modò obfuscent, sed & penitus fermè evertant. Huc merito & illa referenda est opinio, quâ quidam, lubricis innixi argumentis, existimant, non minùs brutis quàm homini competere Rationem unà cum illis, quæ ex istâ originem ducunt. Hac assertio, quantum inter alia homini detrahat, quis quæso non videt? Revocabimus ergò, bono cum DEO, istam opinionem paulò accuratiùs ad Examen sanioris Philosophiæ, eoque ipso non modò hujus sed & hominis dignitatem vindicabimus.

§. I.

Ne frustrâ tractationem hanc de Ratione brutorum suscepisse, & cum larvis tantùm pugnare videamur, sub auspicio statim nostri laboris eos adducemus, quorum persuasio, ac si bruta Ratione polleant, nobis hanc injunxit operam. Plutarch. l. 5. de placit. Philos. commemorat Anaxagoram, Platonem & Diogenem, quòd Rationem brutis tribuerint. Idem de Anaxagorâ & Democrito docet Aristoteles l. 1. de Anima, teste Bodino l. 4. Th. Nat. p. 437. Plutarchus ipse, uti constat, inter opuscula sua duo conscripsit, quorum unius argumentum est, ἀλογα λόγων χηῶν ἢ. quòd bruta animalia Ratione utantur, alterius verò, ultra animantium plus Rationis habeant, terrestrianè an aqvatica? In utroq; Plutarchus mentem brutis tribuit declamatorio potiùs stylo ac more, quàm Philosophico. Non enim validis ullis nititur argumentis ac dignis scholâ Philosophiæ, sed populari tantùm illusionè, magisq; de probitate ac vitiositate morum cavillatur, quàm de Ratione, prout Lud. Vives judicat l. 2. de animâ c. de rat. p. 74. Ab opinione, quæ bruta rationalia censet, non multum abesse videtur Aristoteles, si consideramus ea, uti jacent verba, quæ l. 9. hist. Animal. c. 46. habet, Elephantem asserens omnium ferarum mitissimum & placidissimum, quippe qui per multa officia & erudiatur & intelligat, quando etiam Regem adorare discit. Valet sensu, ait Aristot. & reliqua sagacitate

excellit: Et eod. lib. c. 1. ubi dicit: *Habere enim vim quandam natura-  
ralem animantes in quavis animi affectione videntur h. e. pruden-  
tia, stultitia, fortitudine, ignavia, clementia, acerbitate & reliquis  
habitibus generis ejusdem, in nonnullis commune aliquid discipline  
eruditionisq; habetur, quemadmodum etiam talia multa de qui-  
busdam animalibus in particulari habet, seqq. eapp. quando eo-  
rum prudentiam deprædicat & sagacitatem: Verum quum expres-  
sis verbis alibi suam exposuerit satis sententiam Philosophus, l. 1. de  
part. anim. c. 1. quo ait: *Brutis omnibus delectatio est, intellectus s-  
mens nullis. Homo unus ex numero animalium omnium vim obtinet  
ratiocinandi & solus potest reminisci, & l. 1. histor. Animal. c. 1. ubi  
dicit, nihil posse persuaderi brutis, quia Ratione carent; itidem  
l. 3. de anima tit. 157. si Tibi Corpus, inqviens, additum non fuisset.  
Numen eras, si mens isti non fuisset indita, eras pecus: eidem tale  
quid, quasi brutis Rationem vendicaverit, tribuendum haut est,  
quin potius illa verba, quæ supra citata brutis nimis favere viden-  
tur, ita explicanda sunt, ut non identitatem hominis & bruti quo-  
ad Rationem, sed similitudinem tantum hujus ad illum vel si-  
mulacra, uti vocant, inferant & dicant, non aliter, ac quando Ci-  
cero l. 3. de Nat. Deor. Elephantum belluarum nullam esse pruden-  
torem, & Ep. ad Mar. esse ipsi quandam cum Genere humano  
societatem pronuntiat, item, quando Serabo l. 15. Elephantem a-  
nimali Ratione prædito asfidere dicit, atq; Philostratus l. 2. de Vita  
Apollonii eundem proximum ab homine prudentia & consilio  
collocat. Philosophorum tamen quorundam gentilium, inter  
quos & Porphyrius locum obtinet ap. Nieremberg. l. 3. Hist. Nat.  
c. 10. opinio, quæ bruta ad rationis fastigium evexerunt, intra limi-  
tes proprios se non continuit, sed à sapientioribus Ethnicis auto-  
ritatem aliquam nacta ad Ecclesiæ pomœria successu temporis  
prorepit, in quibus à Gnosticis, recensente Philostrato, propugna-  
ta est. Nec ipse eloquentissimus Lactantius sibi temperavit ab hoc  
dogmate, ut testatur Daneus l. 5. Phys. Christ. c. 8. Imò Celebris ille  
Laurentius Valla, Grammaticus vellicat l. 1. Dial. c. 9. Aristot. quod  
brutis Rationem denegaverit, de quò meritò audiendus est Lud.  
Viv. l. 2. de anim. c. de Rat. p. 74. Laurentius Valla, inquit Vives, in  
Dialecticâ ratione prædita (bruta) esse argutatur, sed in eo opere stu-**

dio contradicendi & argutandi cæcus rapitur in multas ineptias atq; absurditates transversus. An Lipsius cum modò allegatis Autoribus, brutorum Patronis, fecerit, dubium adhuc uni vel alteri esse posset. Ait quidem Lipsius Ep. 50. cent. 1. ad Junium Havtenum: *Trepidus adhuc & nutas? Age, age, movebo Tibi in isto exemplorum mari magis magisq; fluctus, & ambiguum relinquam, non dicam, an hominem capiant, sed ad hominem imò supra hominem sapiant Elephantes. Dixi enim de priori limite, qui discriminat obscure: alterum vide Rationem, quâ ego omninò carere me fateor, si prorsus ille: Verùm in fine istius Epistolæ lusum profitetur. Habes lusum, natum non importunè nisi ex hesternò lusu & joco inter vina.* Non prætereundi hîc sunt Indiæ Occidentalis populi aliqui, qui in hodiernum usque diem Simios & Cercophithecos, summâ aliàs astutiâ & caliditate præditos, intellectu pollere & loqui posse, sed nolle, ne ab Hispanis ad operas & laborem compellantur, sibi persuasum habent.

§. 2. Exinde satis patere autumo, nos nequicquam id fingere, quod aliàs nulli in mentem venerit, sed obtinuisse omninò sententiam, quâ brutis Rationem assignare quidam non dubitarunt. Priusquam verò altiùs provehamur, nostrumq; de eâ opinione feramus iudicium, nonnulla de Ratione præmittere operæ pretium esse ducimus. Constare namque oportet, quid sit ratio, vel quid in esse suo involvat, si felicem in decidendâ hac controversiâ sortiri eventum volumus. Hoc in antecessum expedituri, possemus quidem de vocis ambiguitate longiùs differere, utpote cujus explicatio ad reicognitionem nos sæpiùs deducere valet, itemq; de æquipollentiâ terminorum, verùm, quùm varias illa vox habeat atq; admittat potestates, quas omnes, in tantâ multitudine, breviores ducturi lineas recensere non possumus, ab aliis subinde propositas, homonymiâ explicandâ supersedebimus, de synonymiâ quoq; parum solliciti, nisi quod hoc præprimis notatum velimus, mentem, intellectum & Rationem à nobis pro æquipollentibus haberi, vel etiam, ut *Arm. de bello V. su tr. 2. c. 136. p. 270.* tradit, Rationem & intellectum eadem esse potentia realiter sed differre in actu, quia intellectus dicitur, quando res sine discursu apprehendit, sed idem intellectus dicitur Ratio, quando circa res apprehensas discurret considerando, componendo, dividendo.

§. 3.



§. 3. Ad rem ipsam proinde accedimus, *Rationis* defini-  
 tionem, adeoq; ipsam ejus essentiam, brevibus licet, in vestigaturi.  
 Sed insignem statim hinc observamus Eruditorum discrepantiam,  
 ita ut dubius merito quis hæreat, quodnam in tanto sententiarum  
 divortio potissimum iter sequatur. Dū enim viderunt Sapiētes, ex asse-  
 rationis naturam explicare se haut posse, modò similitudine de-  
 clararunt id doni divini, modò præstantiam ejus aliquvaliter de-  
 pingere fategerunt, jam verbis adstruentibus & positivis, jam ne-  
 gativis & destruentibus. Inde *Vives* intricatum ac plenum obscu-  
 ritatis negotium, mentis naturam perscrutari, asserit. Nobis, quid  
 Ratio sit, dicturis, ita definitionē formare liceat: *Ratio est facultas a-*  
*nima humana, omnes res cognoscens, de q̄, reb̄ cognitis discurrens & ju-*  
*dicium formans.* *Facultas* dicitur *Ratio* & restringitur ad humanā a-  
 nimam. Quamquam enim princeps animæ facultas sit, ipsa tamen  
 anima non est, ut ut tota ferè *Nominalium Schola*, cum quibus di-  
 sputant *Dd. Conimbr. 7. de Anima c. 3. qu. 4.* asserat, potentias a-  
 nimæ nec re ipsā, nec formaliter ex naturā rei ab animæ essentiā  
 distingvi. Nam nos contrariam potius amplectimur sententiam,  
 quæ *D. Thomæ, Cajetani & aliorum* est, qui affirmant, realiter eas  
 ab animā distingvi & dicunt: *Quod ipsa animæ essentia est, illud*  
*non est ejus potentia.* Hoc probare in proclivi est, siquidem nulla  
 substantia creata potest esse immediatum operationis suæ princi-  
 pium, & ut sine accidentibus non consistit illa substantia, ita nec  
 sine illis agit. Ergo per certa media perq; certa instrumenta distin-  
 gta à sui ipsius essentia efficiet operationes anima, qualia sunt fa-  
 cultates, quæ & inde distinctæ erunt à substantiā animæ, cum qua  
 si idem essent, ipsæ etiam essent idem. *v. Zabari. l. de facultat. Bea-*  
*tiss. Sperl. Syn. Anthropol. l. 1. c. 2. qu. 1.* Ad animam verò humanam re-  
 stringitur *Ratio*, ut efficiens causa per emanationem indicetur,  
 ut etiam deinde tum *DEO*, tum *Angelis* tum *brutis* ea *Rationis*  
 potestas denegetur.

§. 4. Porro, ut quiditas *Rationis* eò meliùs patefcat, formalem  
 istius rationem in eo ponimus, *quod omnes res cognoscant de q̄, rebus*  
*cognitis discurrat & judicium formet.* Omnem rem *Rationem* cogno-  
 scere dicimus & asserimus h. e. ad substantias, accidentia, universa-  
 lia, singularia, Entia realia & rationis cognoscendo pergere, hæc q;  
 ra-

ratione omnia potestate receptionis fieri Rationem seu intelle-  
ctum. Non quidem diffitemur, multos & hic scopulos esse, in quo-  
rum duritiem pedem impingere perquam facile est, dum alii intel-  
lectionis humanae objectum posuerunt Entia tantum, alii Entia  
& Non: Entia, alii singularia, alii universalia, alii sensilia, alii in-  
sensilia, alii materiata alii immateriata; & praecipue in eo multum  
difficultatis situm esse deprehendimus, quo Philosophi inter se  
disceptant, an mens nostra valeat per se & distincte materiata sin-  
gularia intelligere & cognoscere, quae in re Viri nonnulli Doctis-  
simi statuerunt, mentem hominis sola universalia cognoscere, sin-  
gularia solum, ut in universalibus includuntur, quorum rationes  
in quatuor capita redegit *Piccolom. l. 1. de mente hum. c. 15.* nihilo-  
minus tamen nos viam, Clarissimorum Virorum vestigiis signa-  
tam, sequimur, statuentes, objectum adaequationis omnes esse res,  
quatenus intelligi possunt. Itaque licet communiter res discescant  
in cas, quae sunt supra rationem, & quae juxta illam, & quae infra  
sunt, circa nullas tamen plane otiosa est Ratio nostra, sed circa om-  
nes suo versatur modo cognoscendo tum *θεληώς* tum *ἀρνητικώς*,  
tum *κατ' ἐξοχήν* seu per viam eminentiae. Haec autem omnia ita se-  
se habent, ut a nostrae Ratione haut simul & uno momento co-  
gnoscantur, sed successively. Non inficias imus verum esse, quod  
monet *Thales* ap. *Laert.* *Ἐχιστον ὄρεσ Διὸς πάντων τρέχει*, unde  
etiam, igneum vigorē illi à Deo inditum esse, *Virgilius* non immeri-  
tò cecinit, propter agitationem mentis, quae nunquam quiescit, ut  
*Cicero* loquitur; nondum tamen omnia, nec multa, quae talia sunt  
& manent, nisi uniantur ad aliquod totum & propter hanc unita-  
tem unum forment conceptum objectivum, simul & uno intuitu  
Ratio propter suam finitatem cognoscere potis est.

§. 5. Notanter dixi, *objectum adaequationis* nostrae Rationis  
esse omnes res, ut probè contra distingvatur *objecto vel primitatis*  
*vel formalitatis.* Hoc, ut breviter dicamus, est verum, unicum men-  
tis pabulum, circa quod observandum imprimis est, quod *Mendo-*  
*za disp. 5. de anima sect. 3. §. 15.* monet intellectū nō semper tendere in  
verum realiter, sed in verum realiter & apparenter, alioquin nun-  
quam deciperetur Ratio, decipitur autem, quia praestat assensum  
objecto, quod non est. Sicut enim evidētia objecti necessitat

in -

intellectum ad illius assensum, ita evidentia falsitatis illum ad non assentiendum necessitat. *Illud objectum sc. primitatis sunt singularia sensibilia. Singularia, inquit B. & Celeb. Sperl. l.c.p. 130. quia his cognitio demum universalis formantur sensibilia, quia nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Liceat nobis hic paululum persistere, & facile apparebit, quomodo cognitio Rationis fiat.

§. 6. Quoniam animus celestis, terrestris domicilio corporis, hebetatur, eò fit, ut ad cognitionem sui objecti sine sensuum ministerio pervenire non queat: Ideò rectè *Plato*, Philosophorum quasi Deus, *mentis internuncios quasiq; satellites sensus* appellavit, *eosdemq; duces ad veritatem.* Et *Aristoteles* pronunciavit, nihil intelligi, nisi prius sensu id perceptum fuerit, quocunq; modo seu directè & immediatè, seu indirectè & mediatè. *v. B. Sperl. l.cit.p. 198.* Sensus autem non percipit substantiam rei, vel ut *Ciceronem* locutum esse ajunt, essentiam rei, ideoq; nec secundum esse suum totum objectum ingreditur sensum, sed per imaginem sui ipsi sese insinuat, dum sensibile spargit & diffundit à se speciem sui in partes omnes, quas primò apprehendunt sensus externi. Ejusmodi species dicuntur sensibiles vel etiam spirituales & intentionales, suntq; simulacra & imagines ab objecto sensibili egredientes, illudq; sensibus representantes. Neq; tamen in exteriori sensu manent & perdurant diutius, sed sensus communis, qui instar centri est in circulo, cerebri beneficio, omnes istas recipit, sensibilia propria cum à se invicem tum à communibus discernit & Phantasiæ offert, quæ proximè ministerium præstat, ita ut sine illius ope, quacunq; ratione facta, nihil cognoscat Ratio. Hæ in Phantasiâ contentæ species, nomine mutato, Phantasmata appellantur, per quæ facultas hæc cognoscit res externas etiam absentes. Ex idolo deinde Phantastico, tanquam ideâ, intellectus agens, ejus ad similitudinem, efficit speciem intelligibilem spiritalem, quando phantasmata conditionibus materialibus, quæ sunt instar tenebrarum, involuta illustrat, non quidem formaliter, ita ut vim seu qualitatem imprimat, cujus beneficio phantasma ab intellectu excitetur ad gignendam formam spiritalem seu speciem intelligibilem; neq; objectivè solùm per solam assistentiam & præsentiam; sed effectivè, dum intellectus agens tanquam externa lux, sui consortio activè phantasmata elevat ad producendam speciem intelligibilem, cui accedit & hoc, quòd speciem sensibilem in Phantasiâ impressam suâ materialitate & accidentibus singularibus exuat, à phantasmate præcidat, ab iisq; repurgatam ad intellectum patientem transmittat, ubi in speciem intelligibilem abit. Duo enim in-

B

tel-

tellektui competunt *Φωτισεν & χαρισεν. v. B. Martini Exerc. Met. 8. l. 1. c. 9. p. 819.* Nolum⁹ hīc prolixius de intellectu agente & patiente discurre, quū brevioribus nobis ambulandum sit spatiis. *Sperlingius noster desideratissimus* satisfaciet ei, qui plura à nobis desiderat, cuius sententiam meritò amplectimur & veneramur, utpote quæ luculentissima est præ omnibus aliis, in quibus rem intricatam intricati⁹ propositam deprehendimus. *v. Eund. l. cit. p. 135.* Neq; satisfacit rei *Cl. Deusingius fascic. dissert. select. p. m. 207. qui intellectum agentem mentem ipsam seu rationalem animam facit, patientem verò facit illud, quod rationem habet per participationem, seu sensitivam facultatem esse dicit.* Nam intellectus patientis sensibus minimè immerfus est, sed longè ab iisdem remotus, & illud, quod rationem habet per participationem non est sensitiva facultas absolutè dicta.

§. 7. Rationis autem cognitio, uti prærequirit *τῶν ἀδιαιρέτων νόησιν*, quā intellectus sive Ratio singulatim omnia concipit nihil affirmando & negando, sic involvit deinde *σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν*, quā conceptum conceptui jungit Ratio, aut aliquem ab aliquo disjungit, & perficitur demum per *ἀγνοίας* seu discursum, quando Ratio omnia discutit, ab unā notitiā ad aliam dependentem à priori, in eāq; formaliter contentam & formaliter deductam progreditur ex unā notitiā, per sensus antea haustā ad ignotiorem tendit eamq; nullis haustam sensibus elicit: Et talis discursus præprimis in Ratione spectandus est & considerandus probè. Hanc cognitionem excipit *judicium*, quod ex illā, cognitis omnibus atq; excusis proficiscitur, *judicium* nempe ratiocinativum, quod super ipsam Rationem ejusq; actiones simul reflectitur & discursum mentis præsupponit.

§. 8. Hæc est illa princeps hominis facultas, cui altera indivulso conjuncta est nexu, *VOLUNTAS*. Duplices nempe generis facultas rationalis est in homine. Una suapte naturā intelligit, altera participatā Ratione. Pars animæ suapte naturā intelligens ipse intellectus dicitur, ratio atq; *ῥῆσις*; pars per participationem intelligens appetitus salutatur, qui iterum distingvitur in intellectivum atq; Voluntas nominatur, per essentiam quoq; rationalis vocata à Scholasticis, annot. *Arm. de bello Visu p. 31.* quæ, quod ratio judicat eligendum, eligit atq; facit, non quidem necessariò, ita ut determinetur ab ultimo *judicio* intellectus practico, sed liberè, quā de re *v. B. Meisn. in Phil. sobr. part. 3. sect. 1. qu. 6. p. m. 27.* & in sensitivum, non quatenus in brutis est, sed ut rationi subjacet, cui parere

re

re debet, unde & participativè rationalis dicitur. Voluntas nunc & Ratio, uti diximus, se mutuò respiciunt, quâ de causâ, cui tribuitur Ratio, ei etiam tribuenda voluntas. Ubi est omnium rerum cognitio, earum compositio & demum discursus seu ratiocinatio, ibi & libera rei cognitæ electio, quæ facit, ut subjectum volens ad utrumq; indifferens sit atq; indeterminatum.

§. 9. *Rationem* insequitur *Oratio*, hinc dicitur ea, quòd sit facultas animæ rationalis, ad res mente conceptas enunciatione manifestandas ordinata, (*B. Sperl. Anthropol. l. 1. c. 6. p. 275.*) non quòd ad primarias Animæ rationalis potestates ea referenda sit, sed ad secundarias unicè. Nobiliora namq; objecta atq; operationes habent voluntas & Ratio, inde nobiliores quoq; potestates dicendæ sunt, qualis sermo non est, quæ illis objectis atq; operationibus præstantioribus destituitur; interim tamen ipsam *Orationem* ita ad hominem ejusq; animam rationalem spectare putamus, ut unâ cum *Ratione* deneganda brutis animantibus sit, quod & de *Risu*, nec non omnibus iis quæ ex *Ratione* tanquam fonte profluunt, asserere non dubitamus.

§. 10. His in antecessum præmissis jam de ipso quæsito intimiùs perspicendum est: An brutis *Ratio* competat? Pro negativâ, quam nostram esse, vel ex præced. §. quivis videt, facit hoc, quòd in animam seu formâ quæ actuât bestiam quamcumq;, & ei esse distingvi & operari specificum dat, non cadant ea, quæ in animâ intellectuâli manifestò deprehendimus, utpote sunt 1. *cognitio omnium rerum caelestium quoq; & æternarum* 2. *speciei intelligibilis expressio*. 3. *reflexio super ipsum intellectum*. Hæc bestiali animæ, quæ materialis est ratione existentia, non competere, patet, quia effectus non potest toto genere esse nobilior aut deterior suâ causâ, esset autem hæc ratione effectus utiq; nobilior, si brutis illa, quibus dignoscitur *Ratio*, convenirent, nisi quis perquam absurdè asserere vellet, formam hujus vel illius bruti ne quicquam inferiorem esse animâ humanâ, in quâ nobilissimos illos *Rationis* actûs deprehendim⁹.

§. 11. Deinde, si bruta intellectu gauderent, etiam voluntate pollere dicenda essent, quia ut appetitus sensûs, ita voluntas mentis individua est comes; *Αἰ μετὰ λόγῃ πᾶσαι τῶν ἐναντίων: αἱ δὲ δυνάμεις ἀλογοὶ μὴ ἐπὶ*, inquit *Philos. l. 9. Met. c. 2.* Nunc bruta voluntate destituuntur. *Rationem* do. Agens voluntarium habet libertatem contradictionis & indifferentiam, quâ actum aliquem potest elicere aut suspendere positus etiam omnibus ad agendum requisitis e. g. proposito cibo & potu præsentem, etiam naturâ ad comestionem propellente, homo ab ea potest ab-

stinere. Sed bestia omnibus ad agendum ritè dispositis non potest non ferri in suum objectum. Hinc firmum manet, bruta neq; voluntate neq; intellectu prædita esse. Excipiunt & provocant libertatem & indifferentiam brutorum asserturi ad id, quòd videam9 canem modò citiore gressu, modò lentiore ferri, interdum etiam quiescere, nemine urgente, sed suo pte motu; quòd videamus bruta allici beneficiis, moveri præceptis, terreri minis & avocari ab aliquo opere. Verùm enim verò bruta videntur feriari, quùm agere possint, aut agunt, quantum possunt, aut non agunt, quod agere possunt, non quòd adsit iis libertas & indifferentia, sed quia deest iudicium phantasticum, indicens operationè aut modum operandi diversum ab eo, quem re ipsa tenent. Sic quando brutum flagellis terretur aut blanditiis & escà allicitur ad aliquid faciendum aut omittendum, illud fit absq; libertate, eò quòd beneficio vel interventu objectorum talium aut taliù exoriatur determinatio à phantasiâ facta, necessitans brutum in unam partem. v. g. Ostentatione flagellorum excitatur qs. in bruto recordatio præteritorù verberum, quâ affectatur iudicium phantasticum, determinans ad fugam vel aliud quid, ne malum aliàs inflictum denuò subeat. Ulteriùs ut obtineant, brutum se liberè determinare posse ad alterutrum objectorum, talem objiciunt casum seu eventum, quem Metaphysicum vocant, bruti æqvè fame ac siti vexati, & inter pabulum ac potum æqvo spatio distantia, collocati, & dicunt, tunc necessariù omninò videri, ut concedatur facultas intrinseca bruto se determinandi ad alterutrù, quia nullum proferri potest extrinseca determinans; aut asseratur, brutum in illo eventu hæsurum, quod ipsi incredibile existimant. Sed *Celeb. Schott.* quando ad hoc respondet, postèrius incredibile non iudicat, quin potiùs suffragium ipsi præbet postquam alias quoq; adduxit responsiones, inter quas quæcunq; assumatur, quodammodò dubio satisfiet. Nobis in primis *Medina* placet solutio, cui nihil obesse arbitramur *Schotti* exceptionem v. *eius Phys. sur. l. VII. c. XIX. p. 875.*

§. 12. Porro, si brutis hæc competeret Rationis prærogativa, quæ discrimen essentiale inter ea & hominem, quòd minùs is ipse brutum sit, intercederet? Nullum certe. *Bruta rectè habebimur, si illa hominum habemus loco.* Et si mente prædita forent animalia mentisq; operâ uterentur ac fruerentur in iis, quæ astutè, quæ callidè, sagaciter lepideq; agunt, quæq; prudenter acta alicui videri queunt, longè feliciora existerent, uti non inconcinnè infert *Schott. l. cit. p. 872.* ipso homine: Huic enim, tametsi congenita mens sit, mentis tamen usus in primâ ætate nullus, delitescit

cescit initio, exseritur cum tempore, excolitur studio & disciplinâ. At animantibus non tam congenita est calliditas, astutia, & si ita libet appellare, prudentia; sed etiam à primâ nativitate sese exserit. Apes vix natæ favos exstruunt, mella colligunt, Regem sequuntur, Reipublicæ servant formam, Formicæ juvenes æquè providæ & laboriosæ sunt ac ætate provectæ. Gallinacei pulli, vix ovo exclusi, milvum fugiunt. Milvus, nullo instruente, persequitur gallinâ. Lupus inter homines à primo ætatis die educatus, ovem infestat. Aranea telum, hirundo nidum, nullo præeunte instructore, texit atq; ædificat. Ergò *felicitatē hominis prodigit, qv̄i brutis mentem concedit. Lud. Vibes l. 2. de anima p. 75.* à figura brutorum argumentū petit quo Patronos mentis belluinæ redarguere conatur. Pergit deinde Vibes ad Religionē, *cujus carentia grande argumentum esse dicit, belluas ratione destitui. S. Soc. alleg. p. 76.* Maneat g. nobis fixum atqve firmum, nullam habere Rationis possessionem, nec sermone nec prudentia nec aliis virtutibus, s. illæ sint intellectuales s. morales, prædita esse bruta, quod posterias ex priori spontè fuit. Negato enim antecedente, negatur etiam illud, quod aliàs necessariò & per naturam consequitur. Quid si verò dicamus bruta analogum quid Rationis, sermonis atq; virtutum habere? Hic nulli litem movebimus de modo loqvendi: Dicat, si vult, bruta gaudere facultate rationi analogâ. Optimè res sese habet, modò non intelligatur *analogia illa, qv̄am vocant attributionis intrinsecæ, qv̄æ aliàs non rei diversitatem, sed participationis inæqualitatem tantum modò infert.* Concedimus aliquam *Analogiam, eam autem, qv̄am vulgò proportionis dicere consueverunt, qv̄æ in nuda similitudine consistit & semper aliquam improprietatem involvit.*

S. 13. Propositis iis, qv̄æ ad probandam nostram sententiam sufficere putamus, ordo postulat, ut ea spectemus; qv̄æ adversæ parti patrociniandi brutis quandam veluti imposuerunt necessitatem. Nec tamen omnia sigillatim & distinctè, prout par esset, hic evolvere & discutere nobis integrum est. Delineabimus ergò tantum illa, & breviter, quousq; valeant, indicabimus. Viderunt rerum industrii æstimatores miras nonnullorum brutorum *operationes, qv̄æ insignem sagacitatem, providentiam, prudentiam aliosq; habitus de se spirant.* Viderunt providam, operosam ac laboriosam formicæ industriam, animalculi istius, quò minoris eò sagacioris, prout nempe frumentationem facit in æstate sibiq; providet cibum pro hyeme, ut eodem vivat, quando parare eum non potest. Qv̄æ frumentatio alia quoque admiratione digna sistit recensita à *Celeb. Schotto Phys. cur. pag. 866.* Qv̄am affabrè Apes Geometriam, figurarum pulchritudinem, fingendi elegantiam, sine arte, sine regulis sine circino figuras sexangulas & sex laterum & æqualium Angulorum conficiant ac societatem l. politiam suam constituent, lucem meridianâ clarius est. Qv̄am artificiosè Aranea texturam, nulli mortalium imitabilem, formet, qv̄am concinnè fila disponat, alia in rectum immissa fundamenti loco, alia in orbem currentia & extensa rara explicet, atq; in centro ceu in speculâ prædam advolantem & veluti retibus se implicantem observet & teneat ædium trabes ostendunt. Quantum in bombyce natura manifestaverit artificii, impossibile est omnia complecti. Multa licet scribantur, multa tamen restant. Hæc & alia dum pensitarunt homines, qv̄æ non nisi ex habitu proficisci posse existimarunt, præter sensum, etiam Rationis particulam subesse suspicati sunt. Habitus enim de Rationis præsentia luculentum præbet testimonium. Verum hæc adeò firma non sunt, ut vel habitus vel Rationem in bruta cadere nobis persuadeant. Habitus qv̄æso, quid sibi volunt aliud, qv̄am inclinare potentiam naturalem eamq; faciliorem reddere in ordine ad suum actum, potentiam quidem



illam, quæ in se indifferens est ad aliquid agendum, ita ut etiam actus suos aliter exercere possit? Bruta v. quid? Determinatè agunt, per potentias naturales ad unum determinatas, nec vera istis libertas l. indifferentia ad agendum competit. Hinc nec habitus nec Ratio ipsis competere potest. 6. *Sbarez. disp. 44. sect. 3. n. 3. p. 417.* Ad exempla, quæ nobis contraria videtur, respondemus, bestias agere multa ex instinctu Naturæ, quam Deus singulis Speciebus indidit ad se tuendum, ad consequenda commoda & vitanda incommoda, & beneficio hujus instinctus cognoscunt quoque; bruta, quid sibi conducatur nec ne, quid conservandi sui causâ agere debeant vel non. Appositè *Hippocrates lib. de Alim. Anima etiam sine Magistro ac Præceptore sapiunt. Et erudita est natura, licet rectè facere non didicerit.* Multa insuper callidè & prudenter agunt bruta beneficio phantasiæ aut aliarum internarum facultatum animalium. Hinc quò meliùs istæ sunt comparatæ, eò meliùs eoque sagacius actiones suas exercet hoc vel illud brutum. Hinc est, quòd non omnia individua in hac l. illâ brutorum specie pari sagacitate agant, ut non opus sit hujus rei declarandæ causâ aliam. quandam à Phantasiâ, aut æstimatoriâ aut aliâ internâ facultate diversam fingere.

§. 14. Alii probaturi, brutis non deesse Rationem, dicunt, in illis dari causalitatem finis, & ita Rationis usum ipsis competere asserunt. Prostant, ajunt nobis adversi, exempla canum, qui, ut defenderent Dominos, quodcumque subierunt, (*Schott. Phys. curios. p. 967.*) qui occisis heris, illos, qui necem intulerant, manifestarunt, quò internecionem in Dominis commissam ulciscerentur. Prostant historia, ex quibus manifestum evadit, bruta prudentissimas actiones suscipere, ut ad finem, quem sibi destinarunt, nec non ad illud, quod ex usu sibi fore putant, eò faciliùs pertingant. *V. Schott. lib. cit. p. 867.* Nonne multa animalia familiares sibi medicinas cognoscunt? quemadmodum hirundines ad meatus oculorum pullis suis aperiendos Chelydoniam adhibere dicuntur, & capræ sylvestres in Cretâ sagittis transfixæ dictamnû quærunt, & hujus partu eas excutiunt. Nonne cancer fluvialis, ostreis ubi insidiatur atque; ex iis escam venatur, lapillos patulæ hianti; testæ ingerit, ita ut occludi nequeat, mox dentato forcipe pisculentam carnem abradit atque; elicit, eoque; alimento suaviter ac securè nulloque; vindictæ metu fruitur. Sed nec hæc evincunt Rationem in brutis obtinere. Non quidem inficiamur, bruta propter finem actiones suscipere & perficere, verù distingvendi sunt ordines & gradus propter finem agentium in serie corporum naturalium. Primus ordo est, quo agens à fine perfectè movetur, novitque; ad eundem optimè actiones ordinare & discernere bonitatem finis à bonitate mediorum, item de mediis deliberare, variumque; modum finem assequendi determinare, & hujus ordinis solus homo est. Medius ordo est, quo agentia non nisi materialiter sub Ratione boni & convenientis propter finem agunt & mediis oblati unò modo agunt, ad hunc ordinem referenda sunt bruta. Infimi ordinis sunt plantæ & metalla, quæ, quum sensu careant & intellectu, motus finis à propria proficiscitur formâ. Quando autem canes, elephantes, & alii brutorum benefactores suos, interdum et ad sui internecionem usque; amant, eosdemque; ab injuria defendunt aut illatam ulciscuntur, & vel ipsi injurios ad supplicium rapiunt, vel alios ad poenam infligendâ latratu aliisque; signis instigant, partim sensuum, partim affectuum operâ fit, ubi nec ipsius DEI jussus & nutus planè insuper habendus, qui, quæ nos gerimus, auditque; videtque; & sapiùs ad scelera manifestanda, quò justa coërceantur pænâ, brutis scaturit animantibus. Notandum præterea, quòd cuique; datus sit à natura appetitus salutis & conservationis suæ. Quid ergò mirum, si & bruta medicinas



nas, victum, nec non arma aliaq; ad sui conservacionē adhibeant, eo et, certoq; modo, quem Natura præscribit.

§. 15. *Alii capacitatem disciplina & instructionis nobis obtendere fatagunt, quo brutis docilitatē, & exinde Rationalitatem concilient, Quam in rem varia fiunt documēta, conf. Ælian. l. 13. hist. anim. c. 12. Jonston. Thabmatogr. cl. 7. c. 15. Cal. Rhodig. l. 25, c. 28. L. A. p. m. 14, 22. Lips. sent. 3. ep. 56. Et qui instar omnium est. Schott. in curios. phys. l. 8. Quidquid a. horū sit, si per docilitatē intelligitur, quod scientiā propriē sic dictā consequi possint bruta, negamus ea docilia esse. Doceri possunt tō d' q' quod nos in dubium non vocamus, vidit n. & nostra patria Elephantem probè instructum & informatum, qui spectaculi instar ante annos non ita multos circumducebatur, sed tō d' doceri nequeunt. Adde, quod hæc docilitas non surgat ex iis principiis, unde Rationis experimentum quis possit capere, sed ex assuefactione assiduā & laboriosā diurnitate temporis, in aliquam firmitatē usu compacta, derivatur illa promptitudo agendi, quam docilitatē hic dicimus. Ad hanc sufficit memoria, imaginatio & habilitas membrorum corporis, quæ omnia quum in brutis excellenter vigeant, mirū adeò non est, quod illa discant illa atq; exerceant, quæ tantā cum delectatione spectamus. Sunt illa quidem opera intelligentiæ ac Rationis, at non Rationis brutorum sed illorum, qui bruta docuerunt.*

§. 16. *Alii ipsam loquelam animalium brutorum, tanquam scutum & frameam obijciunt, & propterea imprimis aves accersunt, quas præ reliquis animantibus, quum eorum natura aliquantō sublimior sit & à terrenis rebus longius remota, loquelæ capaces esse multi testantur Clarissimi viri. Sic Cælius Rhodig. l. 3. cap. 32. p. 153. de quodam Psittaco commemorat, qui Romæ apud Ascanium Cardinalem centum aureis nummis comparatus fuit, quod ille articulatisimè symbolum Apostolicum, continuatis perpetuò verbis, integrè pronuntiaverit, perinde atque vir peritissimus. Scalig. Exerc. 237. dicit, Monachos quendam aluisse corvum, qui coqvem Conradum nominatim in fame implorabat, adeò expressè, ut ab homine vocatum arbitraretur. Plinius inquit se vidisse cornicem in Urbe Romæ & Bœtiā exprimentem plura verba ordine contexta, idemque de turdo, quem Agrippina Claudii Cesaris Uxor habuit, testatur. Huc spectat, quod Stat. lib. 2, Syl. canit:*

*Psittace, dux volucrum atque homini facunda voluptas,  
Humana solers imitator, Psittace, lingua.*

*Et Ovidius:*

*Non fuit in terris vocum simulantiōr ales.*

*Nec minùs, quod Persius habet in Prologo.*

*Quis expedivit Psittaco suum χείρ?*

*Corvos, quis olim concavum salutare*

*Picasque docuit verba nostra conari?*

*conf. Lælius Bisciola tom. 2. hor. subci. l. 15. c. 2. P. Schott. Mag. Nat. part. 2. l. 1. synt. 5. c. 1. 2. 3. & 4. ad quā provocat ipse in Phys. cur. p. 883. Sed respondemus nos, aliud esse vocem, aliud sermonem, aliud sermonis imitationem. Quando igitur voces humanas aves imitantur, impropriè locutio est, quia non intelligunt, quid pronunciant, sed assuefactione id agunt. Propriè sic dicta locutio non est, quam Mercur. Trismeg. in Pimandro sororem intelligentiæ & Meletius l. de hom. C. de multipl. fac. Angelum*



Angelum intellectus dixerunt. Memoriâ gaudent bruta, cuius beneficio multa ob-  
servant, & tempore opportuno usurpant. Non dicam, sæpè inesse historiis quæ o-  
mnem excedunt fidem. Ut Echo pro unâ voce duas aut tres reddat, ita multi gemi-  
nant *visa & audita*. Ridiculum insuper plane est, quod parva Genesis & Josephus  
opinantur, loqvendi facultate olim prædita fuisse animalia bruta omnia, amisis-  
se verò eandem, quùm *γλωττοσὺ γχύσει* punirentur hominum lingvæ.

§. 17. Quid verò iis respondendum esse existimemus, qui brutis eo usque  
sæbent, ut non tantum sermonem sed etiam sermonis intellectum illis tribuant? Nos  
talia quidem audimus & legimus, at quibus Rationibus asserantur non animad-  
vertimus, quin potius uti sermone, ita & sermonis intellectu à brutis animanti-  
bus homines determinari credimus. Non diffitemur bruta singula in suo genere  
naturalia quædam affectuum suorum signa edere & aliqua interpretatione uti  
ad se invicem posse: Verùm sermonem ejusq; usum & intellectum brutis conve-  
nire haut arbitramur, ut pote, qui datus est ad mentis conceptus revelandos.  
Prout g. mens & Ratio brutis denegatur ita & sermo istiusq; usurpatio mutua  
& intellectio.

§. 18. Nonnulli ad risum sese recipiunt, quumq; ipsi vigeant, risibilitatem  
essentiale Rationalitatis consequens esse, in aliquibus vero brutis, cuculo nempe  
psittaco aliisq; risum, uti putant, deprehendant, non posse fieri autumant, quin  
illis ipsis Ratio congruat. Sed quod illi, qui hoc nobis objiciunt, tanquam certum  
præsupponunt, illud nos æquè falsum esse putamus. Nondum n. demonstrarunt,  
ullum animal brutum risu præditum esse. *Equis & vacis*, ait *Celeb. Sperl. Anthropol.*  
*l. 1. c. 5. q. 1 p. 244. cum lætitiæ offertur materies, haud rident, sed in solis acq̄iescunt*  
*affectibus: De cuculo & putant rem esse majoris considerationis & difficilius explicatio-*  
*nis. Nam præter suam cucu vocem attollit interdum & variat, quod cuculi risum appel-*  
*lant. Sed respondendum aliud videri aliud esse risum. Affectat ipsum cuculus, sed non*  
*habet. Imitatio est, res ipsa non est. Libidine cum tentatur, voce hac sociam ad concubi-*  
*tum sollicitat, Conf. Hieron. Fracast. de Synp. & Antip. c. 20. p. 86. Neq; fletus rectè tri-*  
*buitur brutis. Si enim fletus cadit in bruta non video, cur non & ipse risus iis ad-*  
*scribendus sit, quùm ridere & lacrymari ad duos sibi invicem oppositos affectus*  
*lætitiam & tristitiam ordinata & determinata sint, qu. uterq; ipsum animum seu*  
*mentem respicit, quâ de causa ad fletum non sufficit cujuscunq; humoris ex ocu-*  
*lis emissio, nec humor omnis lacryma dicendus est, nisi improprie forsitan & me-*  
*taphoricè, quod longius exsequi pagellarum angustia prohibemur plura submini-*  
*straturi b. c. D. si in conflictu hæc de re differendi nobis occasio dabitur. Habeant*  
*adhæc sibi Adversarii futurorum præsagium, quod præclarum in brutis faciunt &*  
*quo Rationi, quam fingunt, brutorū, haut leviter patrocinari suscipiunt. Habeant*  
*illi divam suam sine nobis rivalibus. Extollant & credant præsagium quodcunq;*  
*& quousq; velint. Nobis non placet minus subactum judiciū & nimia credulitas.*  
*Habeant sibi quoq; Adversarii, quod ex Job. XXXVIII. 36. pro stabiliendâ suâ sen-*  
*sentia in scenam producant nō fontem sed rivulos secuti, quando verba מִן נַחַשׁ*  
*לשׂוֹן בִּינָה* cum Vulgatâ reddunt: Quis dedit Gallo intelligentiam. Involvit  
hæc versio somnium Judaicum & Buxtorf in Lexic. p. m. 803. Rectius inde Arias vo-  
cabulum לשׂוֹן vertit contemplationi. Nobis hoc persuasum manet;

Ratio brutis non est assignanda.

TANTUM,

Ad Dominum Respondentem.

**E**Xiguum sanè non suscipit ille laborem,  
Qui vult BRUTORUM de RATIO-  
NE loqui.

Nunc, TU quid possis, monstras dum pulpita  
scandis,

Deq; intellectu differis ore, feri.  
Perge, precor, posthac tales producere flores;  
Gratus eris Patriæ, gratus itemq; DEO.

CONSTANTINUS Ziegra  
D. PP. h.t. Decanus.

---

**A**Bdita multa fovet natura recessibus imis:  
Hoc opus, hic labor est, qui cupit ista sequi.  
In fundo pretium posuit sudoris HONOREM;  
Indagare nimis qui venit, invenit hoc.  
HAUPTI ritè facis! labor hic Tibi proderit olim;  
Scis benè, quòd gnavus det Diadema labor.  
Non nisi continuò perfossa labore dat aurum  
Terra; dat hóc Sophiæ non nisi dona modò.

Præstantissimo Domino Respondenti  
de hoc specimine gratulab.  
pos.

M. JOHANNES SIMON  
Facult. Phil. Adj. Sch. Opp. ConR.

C

Exsere



**E**Xsere ritè caput, nuda perdocte lacertos:  
Sic charum Patri Tu caput atqve DEO.  
Jam Pallas nectit, quìs cingat tempora, ferta:  
Perge, ut Phœbei sis caput ipse chori.

*Gratul. d. prop.*  
M. HEINRICUS Baumann  
Facult. Phil. Adj.

---

*Ad*  
PRÆSTANTISSIMUM  
DN. RESPONDENTEM,

**E**Xseris haut leviter vires Rationis, apertè  
Dum Ratione omni bruta carere probas.  
Gratulor hos ausùs, Ratio quos ritè subacta  
Svadet, & hinc studiis commoda quæq;  
precor!

Amicâ mente manuq;  
sc.  
M. JOH. ERN. Hering.

---

**E**T prodire tenus, simul ac ostendere fructus  
Sudoris; credas, infimus haut honor est  
Hos protrudis, AMICE, petens jam pulpita docta:  
Ergò TIBI semper gloria, lausq; manet.

*Hacce, quantumvis per exigua, Præ-Eximio ac  
Literatissimo DN. Respondenti amici-  
tiæ ergò, apponere voluit, debuit.*

M. ESAIAS GOLTZIUS  
Witteb. Saxo.

Ad

*Ad*  
*Præstantissimum DN. Respondentem.*

**D**Octe, dum veternum spernis, Cultor,  
HAUPTI, Palladis,  
Appetis labores: iurgis è stratis ad ardua:  
*Hinc negas, quod sit in brutis mentis nostra portio.*  
Sit Deus benignus opto, præsens tantis ansibus!  
Tu tamen conando perge; vince parva tædia:  
Sic Tibi caput Musarum Lauru cinget tem-  
pora.

JOHAN. CONRADUS  
Zeiger.

---

J. N. J.

GDZFXZEDZ HÆUPTIUS,

Sedulus Philosophiæ Cultor de Ratione Bru-  
torum disputans.

*κατὰ μέτρα σοιχείων.*

*Tu eruditè differis: Plaudunt: Gaudeo:*  
*Robur Altissimi fortunet cœpta.*  
*Plus opto!*

EΞΕ-

Εξεργασία

**A**lmæ nunc meritò plaudunt Tibi, svavis Amice,  
Hem Leucoris subsellia,  
Dum Tu eruditè de BRUTORUM RATIONE  
Scandens cathedram differis:  
Et quidni plaudant? ego Tecum gaudeo; laudo  
Ausum tuum laudabile;  
Et precor, ut porrò fortunet cœpta J E H O V Æ  
Altissimi Robur tua.  
Plus opto: Pergas Sophiæ conscendere culmen,  
Quod Te in doles lolers jubet.  
Gaudia sic capient de Te sibi mille Parentes,  
Et TE sequatur laus, honos!

*Eruditissimo DN. Respondenti, Conterraneo  
ac Amico animitus dilecto fac.*

**CHRISTIANUS Brockmayer**

Torgâ Misnicus Phil.  
Stud.



✓  
00 A 6436

ULB Halle 3  
004 931 300  


KD 18









32

*Wolfgang Amadeus  
Mozart*

s

CONSULT

ONE

UM,


TO Gering!

n habebit

HABER!

nori,

ar.



LEI HENCKELII

XV.

